

bis foret asylum. Audita Episcopus legatione, metuens nequid doli subasset, multa sciscitatus a legato, cum in praesentius tempus dimisit, quasi rem maturius consulturus. Redit Joannes ad Virginem in eodem montis cacumine illum expectantem, responsoque Episcopi exposito, suam causatus vilitatem, precatusque, ut mitteret, cui major fides adhiberetur, jussus bono animo esse, jubetur iterum altera die Episcopum adire, secumdeque Templum postulare.

Ad iteratam Episcopus legationem suspensus animi, unitus ac pridie. Legatum alloquitur, aitque illi se libentissime pariturim, accepto alio dariore signo Virginae voluntatis. Recipit Joannes petiturum et abiit mittit Episcopus e suis familiaribus duos, qui aliquanto a longe Joannem sedulo observent, quo cum loquatur in monte. At ubi ad hujus pervenit radices, ex eorum oculis evanuit, ut ab eis toto monte diligentissime quaesitus, inventus non sit. Dum reduces apud Episcopum, Magiae Neophytum criminatur; Beatissima Virgo responsum, petitionemque Episcopi cognoscit ex Joanne, signumque sequenti se die feria scilicet secunda, daturam pollicetur. Ea Joannes

ad Virginem redire non potuit invento domi Joanne Bernardino, patruo suo posito in extremis. Neque feria tertia redisset, sacerdotem acciturus, qui patruo suo ecclesiae sacramenta ministraret moribundo. Ne igitur a Deipara detineretur, si, qua alias iter faceret, opposita pergit via, sacerdotem vocaturus sed frustra. Nam occurrens illae Piissima Virgo solatur illum, securumque redit de patru salute, quam illi tunc apparens concesserant, jubet illum montem subire, floresque legere episcopo ferendos in signum.

Ergo collectus flores Virgineis ipsa Deipara manibus vili componit in ricino, id est, inopum pallium indorum, praecipitque uti ad episcopum ferat, nullique ostendat in via. Ricinum per vim explicare conantes Episcopi familiares nullum tamem florem tenere potuerunt, modo veros putantes, arte modo phrygia elaboratos. Ut coram Episcopo Joannes pallium expandit veris bellissimus recentique rore madiis floribus decidentibus, in eodem ricino non modo supra verum et contra omnia picturae praecepta apparuit, quam veneramur Beatissimae Virginis Imago Guadalupana, parvo suffulta Querub, regio diademato insignis, manicata,

et infra talos promissa tunica, partim candidi, partim coloris punicaei, ad haec exigua cruce in collo depicta, juntisque ad pectus manibus bultu indae puellae placidissimo, leniterque dejectis oculis, adeo illi, quasi in Apocalipsi describitur quam simillima, ut et sol centum et duodecim radis picturae totam oram ambiat, et luna sub pedibus ejus aspiciatur, nisi quod pro duodecim, quibus illa coronatur stellis, sex supra quadraginta in coeruleum hujus peplum dispersae munerentur. In ea nihil non mirum: picturae e floribus, media hieme, e solo summe sterile, et spinarum solum feraci, collectis: in linteo adeo levidensi, ut a tergo velut pertransennam templum videntibus facile pateat quin post duo saecula nitrum vicini lacus, quod argentum, aurum, et aes erodit, summan ejus pulchritudinem vividissimosque colores vel levissime violaverit.

In loco a Virgine Deipara designato, facto olim parvo sacello, indus, et ejus patruus obsequio Beatissimae Virginis addicti, perstiterunt usque ad mortem, donec crecente populorum devotione erectum est Templum, quo deinde aliud multo magnificentius fuit extructum in quo expensa fuerunt 475 millia ponde-

rum argenteorum, quae totidem scuta Romana fere conficiunt, praeter supellectilem et ornatum; omissis enim aureis artefactis, et reliqua supellectile, rex ex solo argento confectae sex mille libras italicas, seu novem mille sex libras hispanas (vulgo marcos) circiter adaequant, Tabernaculum, in quo collocatur Imago, septuaginta septem millia ponderum constat. Nec mirum est, quod in dies creavit devotio, cum praeter miracula, quae in tota Nova Hispania contigisse narrantur, ipsum Capitulum Mexicanum atestetur, posse sperari auxilium praesens, et liberationem ab epidemia (ut de facto evenit anno 1727) intercessione Beatissimae Virginis, quia id experta fuerat civitas mexicana jam anno 1696 et 1697, quo conversus populus ad B. Virginem ab immensa mortalitate liberatus est. Quod idem expertus fuit contra periculosam aquarum inundationem anni 1665 et 1666, sed praecipue anno 1629. Adit praetaerea capitulum metropolitanum Mexicanum constantem et indubiam traditionem esse, quod cum prius possessi, et obsessi in magna copia illas regiones infestarent, et simulacra idolorum ope daemonis loquerentur, post Sanctissimae Imagi-

nis apparitionem, nulla hujusmodi mala eveniunt, quod et indi et hispani huic Sanctissimae Imagini acceptum refferunt. Unde ipse Rex catholicus specialem protectionem hujus Sanctuarii sibi assumpsit, et ad augendum cultum Beatissimae Virginis insignem colegiatam inibi erexit Matritique sub sua protectione accepit congregationem sub eodem titulo erectam. Neque solum illa Dioecesis Mexicana, sed tota illa pars Americae quae Nova Hispania nuncupatur insigni erga hoc Sanctuarium devotione afficitur.

Inter alia pietatis officia illud praecipuum fuit, quod cum anno 1737, per illam regionem pestis grassaretur stabilivit tam Gubernium saeculare, quam capitulum in Dioecesibus Novae Hispaniae, eligere, in specialem et principalem Patronam B. Virginem sub hoc titulo de *Guadalupe*, quod per secreta suffragia factum est, et dias de praeepto ab Archiepiscopo Mexicano fuit indicta, et religiose observatur, remanente (ut exprimitur in litteris pastoralibus) recurso ad sedem Apostolicam pro officio et missa cum octava. Et omnia facta videntur juxta ea, quae Sanctitas vestra praescribit in celebratissimo opere de servorum Dei

beatificatione &c. tom. ibi part. 2. cap. 15. Quod vero attinet ad publicationem de praeepto, ait Sanctitas vestra eodem cap. 15. numer. 12. Potest Episcopus de consensu cleri et populi, instituere festum de praeepto.

His ita constitutis P. Joannes Franciscus Lopez, societatis Jesu procurator provinciae mexicanae in libro ad hunc effectum edito, omnia documenta collecta habet, cumque cum aliis etiam libris editis, qui de hoc argumento pertractant, Sanctitati vestrae humillissime offert, doletque non reperiri authentica documenta a testibus de visu quae olim extitisse compertum est: adeo enim archivum defectuosum est, ut neque ipsius primi Episcopi subscriptio aliqua in eo reperiat: imo cum eveniat hujus miraculi veritatem jam in hac curia fuisse propositam nullum ex documentis tunc adductis modo reperire potest, ex constanti tamem, et inconcussa traditione et veritate fretus ex iis documentis, quae modo collegit, nomina praesertim Archiepiscopi, totius cleri mexicani Episcopi, et capitali Vallisole-tani, coeterorumque antistitum Novae Hispaniae pietate erga Deiparam, et desiderio promovendi ejus cultum, et Patronae principalis

praerogativas ferventium, ut ex iisdem litteris ad Sanctitatem vestram datis patet in actu praesentandi Sanctitati vestrae exemplum in omnibus simile et ante ipsam Sacram Imaginem (quod valde singulare est) delineatum et justis mensuris expresum, rogat humiliter Sanctitatem vestram sequentes gratias.

Ut dignetur principalis Patronae titulum confirmare, approbando officium proprium et missam, quae ita sunt ordinata, ut ad Sanctuarium nostrum unice spectare videantur, addita in fine sextae lectionis brevi notitia apparitionis Sacrae Imaginis, et electionis ejusdem in Patronam Novae Hispaniae.

Ut dignetur indulgentiam plenariam duodecim vicibus in anno concedere visitantibus celeberrimum Sanctuarium in diebus ab Archiepiscopo mexicano designandis; in aliis duodecim anni diebus similiter ab ordinario designandis; septem annos, et totidem quadragenas; et centum dies indulgentiae quotidianae visitantibus altare Beatissimae Virginis.

Ut dignetur iterum approbare et confirmare altare privilegiatum perpetuum a Sanctitate vestra eidem Ecclesiae jam concessum.

Ut confraternitati utriusque sexus Christi

fidelium in dicta Ecclesia sive jam erecta, sive erigenda dignetur concedere aliquas indulgentias, et gratias spirituales.

Ut Ecclesiae ejusdem Beatae Mariae Virginis sitae in vertice montis de *Guadalupe*, impertire dignetur indulgentiam plenariam, in diebus apparitionis, et dedicationis S. Michaelis Archangeli.

Quae omnes indulgentiae applicari valeant per modum suffragi defunctis fidelibus: Quod &c.

OFFICIUM VERO ET MISSA

HUJUSMODI SUNT TENORIS SEQUENTIS.

MEXICANAE SIVE REGNI NOVAE HISPANIAE.

DIE XII DECEMBRIS.

OFFICIUM IN FESTO B. M. VIRGINIS

NUNCUPAT DE GUADALUPE

DUPLEX PRIMAE CLASIS, CUM OCTAVA.

IN PRIMIS VESPERIS.

Antiphon. Deum esset Rex &c.

Psalm. 109. Dixit Dominus.

Antiphon. Ejus.

Psalm. 112. Laudate pueri.

— 445 —

Antiphon. Nigra sum.

Psalm. 121. Laetatus sum.

Antiphon. Jam Hiems transiit.

Psalm. 126. Nisi Dominus.

Antiphon. Speciosa facta es.

Psalm. 147. Lauda Jerusalem.

Capitulum. Ab initio.—*Himnis.*—Ave Maria, &c.

V. Dignare me.

R. Da mihi virtutem.

Antiph. ad magnific. Elegi, et sanctificavi locum istum, ut sit ibi nomem meum, et permaneant oculi mei, et cor meum ibi cunctis diebus.

ORATIO.

Deus, qui sub Beatissimae Virginis Mariae singulari patrocinio constitutos perpetuis beneficiis nos cumulari voluisti: praesta supplicibus tuis; ut cujus hodie commemoratione laetamur in terris, ejus conspectu perfruamur in coelis. Per Dominum nostrum.

AD. MATUTINUM.

Invitator. Sancta Maria.

Psalm. 94. Venite.

Tom. II.

28*

Himnus. Quem terra.

Antiph. Benedicta tu.

Psalm. 8. Domine Dominus.

Antiph. Sicut Mirra.

Psalm. 108. Coeli enarrant.

Antiph. Ante torum.

Psalm. 23. Domini est terra.

V. Specie tua.

R. Intende.

LECTIONES PROPRIE.

LECTIO I.

De libro Ecclesiastici. Cap. 24.

Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem criaturam. Ego feci in coelis ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi omnem terram: Ego in altissimis habitavi, et tronus meus in columna nubis. Gyrum coeli circuivi sola, et profundum abyssi penetravi, in fluctibus maris ambulavi, et in omni terra steti: et in omni populo, et in omne gente primatum habui: et omnium excellentium, et humilium corda virtute calcavi: et in his omnibus

requiem quaesivi, et in haereditate Domini morabor. Tunc praecepit, et dixit mihi Creator omnium: et qui creavit me requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi: In Jacob inhabita, et in Israel haereditare, et in electis meis mitte radices.

R. Vidi speciosam sicut columbam ascendentem desuper rivos aquarum: cujus inaestimabilis odor erat nimis in vestimentis ejus.

* Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium.

V. Quae est ista, quae ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhae et turis? Et sicut dies verni.

LECTIO II.

Ab initio, et ante saecula creata sum, et usque ad futurum saeculum non desinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi. Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei haereditas illius, et in plenitudine sanctorum detentio mea. Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypres-

sus in monte Sion: quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosae in Jericho: quasi oliva speciosa in campis, et quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis. Sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris: et quasi storax, et galbanus, et ungula, et gutta, et quasi Libanus non incisus vaporavi habitationem mean, et quasi balsamum non mistum odor meus.

R. Quae est ista, quae ascendit sicut aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, * Terribilis ut castrorum acies ordinata? V. Filia Sion, tota formosa, et suavis es, pulchra ut luna, electa ut sol. Terribilis.

LECTIO III.

Ego quasi terebinthus extendi ramos meos, et rami mei honoris et gratiae. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris: et flores mei fructus honoris et honestatis. Ego Mater pulchre dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sancte spei. In me gratia omnis viae et veritatis, in me omnis spes vitae et virtutis. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et a

generationibus meis implemini; Spiritus enim meus super mel dulcis, et haereditas mea super mel et favum, memoria mea in generationes saeculorum. Qui edunt me, adhuc esurient: et qui bibunt me, adhuc sitient. Qui audit me, non confundetur: et qui operantur in me, non pecabunt. Qui elucidant me, vitam aeternam habebunt.

R. Quae est ista, quae processit sicut sol, et formosa tamquam Jerusalem? * Viderunt eam filiae Sion, et beatam dixerunt, et reginae laudaverunt eam. V. Et sicut dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium. Viderunt. Gloria Patri. Viderunt.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Antiph. Specie tua.

Pslm. 44. Eructavit.

Antiph. Adjuvavit.

Psalms. 45. Deus noster.

Antiph. Sicut laetantium.

Psalms. 86. Fundamenta.

V. Adjuvavit.

R. Deus in medio.

LECTIO IV.

*Sermo Sancti Bernardi Abbatis. De verbi
Apocalipsis cap. 12.*

Fidelis plane et praepotens mediator Dei et hominum homo Christus Jesus. Nec ipsa mulier benedicta in mulieribus videbitur otiosa: inveniatur equidem locus ejus in hac reconciliatione. Opus est enim mediatore ad Mediatorem istum, nec alter nobis utilior quam Maria. Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile. Quod si (ut vere sunt) plena omnia pietatis, et gratiae, plena mansuetudinis, et misericordiae quae ad eam pertinent inveniatis; age gratias ei, qui talem tibi mediatricem benignissima miseratione providit. Omnibus omnia facta est, omnibus misericordiae sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi: captivus redemptionem, aeger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam, Angelus letitiam; denique tota Trinitas gloriam.

R. Signum magnum apparuit in coelo,

mulier amicta sole, et luna sub pedibus ejus,
* Et in capite ejus corona duodecim stellarum. V. Fundamenta ejus in montibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob. Et in capite.

LECTIO V.

Nimirum ea est, quae velut alterum solem induit sibi. Quemadmodum enim ille super bonos et malos indifferenter oritur, sic ipsa quoque praeterita non discutit merita, sed omnibus sese exorabilem, omnibus elementissimam praebet, omnium denique necessitates amplissimo quodam miseratur affectu. Nam et defectus omnis sub ea: et quidquid fragilitatis seu corruptionis est, excellentissima quaedam sublimitate praeter caeteris omnibus excedit et supergreditur creaturis, ut merito sub ejus pedibus luna esse dicatur. Amplectamur Mariae vestigia, fratres mei, et devotissima supplicatione beatis illius pedibus provolvamur. Teneamus eam nec dimittamus, donec benedixerit nobis. Virtus altissimi obumbravit tibi. Nihil itaque mirum, si sub tali obumbraculo, talis etiam a muliere sustineatur amictus.

tus. *Mulier amicta sole. Induimini Dominum Jesum Christum. Quam familiaris ei facta es, Domina! quam proxima, immo quam intima fieri meruisti, quantam invenisti gratiam apud Deum! in te manet, et tu in eo, et vestis eum, et vestiris ab eo. Vestis eum substantia carnis, et vestiris ab eo gloria suae majestatis.*

*R. Quae est ista, quae progreditur quasi aurora consurgens: * Pulchra ut luna, electa ut sol? V. Quasi arcus refulgens inter nebulas gloriae, et quasi flos rosarum in diebus vernis. Pulchra ut luna.*

LECTIO VI.

In capite, inquit, ejus corona stellarum duodecim. Dignum plane stellis coronari caput, quod et ipsis longe clarius micans, ornet eas potius quam ornetur ab eis. Quidni coronent sidera quam sol vestit? Sicut dies verni, circumdabant eam flores rosarum, et lilia convalium. Quis illas aestimet gemmas? Quis stellas nominet, quibus Mariae regium diadema compactum est? Supra hominem est coronae hujus rationem exponere, indicare com-

positionem. In ea fere specie anno millesimo quingentesimo trigésimo primo mirabiliter picta Deiparae Imago Mexici apparuisse fertur, quae inibi loci prope urbem, ubi pio Neophyto aedem sibi sacram prodigio dicitur designasse, magnifico excepta templo, ingenti colitur populorum, ac miraculorum frequentia. Quam propterea uti praesentissimum adversus publicas privatasque calamitates praesidium, Archiepiscopus Mexicanus, et reliqui etiam illarum partium Antistites omnium ordinum consensione, in primariam adlegit Novae Hispaniae Patronam, riteque electam Benedictus decimus quartus auctoritate Apostolica declaravit, atque Officium proprium, et Missam sub titulo Beatae Virginis Mariae Guadalupensis recitari concessit.

*R. Elegi, et sanctificavi locum istum: * Ut sit ibi nomen meum, et permaneant oculi mei, et cor meum ibi cunctis diebus.*

V. Non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis. Ut sit ibi. Gloriæ Patri. Ut sit.

IN TERTIO NOCTURNO.

Antiph. Gaude Maria.

Psalm. 95. Cantate Domino.

Tom. II

Antiph. Dignare me.
Psaln. 90. Dominus Regnavit.
Antiph. Angelus Domini.
Psaln. 97. Cantate Domino.
V. Elegit eam Deus.
R. In tabernaculo suo.

LECTIO VII.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam. c. 1.

In illo tempore: Exurgens Maria, abiit in montana cum festinatione, in civitatem Juda. Et intravit in domum Zachariae, et salutavit Elisabeth. Et reliqua.

Homilia Sancti Bernardi Abbatis. De Verbis Apocal. cap. 12 circa fin.

Mirabatur Elisabeth personam venientis, dicens: Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? Commendabat et vocem salutantis, adjiciens: Ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo: et beatificabat fidem credentis: Beata, inquit, quae credidisti: Mag-

na quidem praeconia: sed et devota humilitas nihil sibi passa retinere, in eum magis universa refudit, cujus in se beneficia laudabantur.

R. Felix namque es, sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima: * Quia ex te ortus est sol justitiae, Christus Deus noster.

V. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto foemineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam festivitatem. Quia ex te.

LECTIO VIII.

Tu, inquit, magnificas matrem Domini, sed magnificat anima mea Dominum. In voce mea filium perhibes exultare in gaudio, sed exultavit spiritus meus in Deo salutari meo: et ipse quoque tamquam amicus sponsi gaudet ad vocem sponsi: Beatam esse dicis, quae credidi: sed credulitatis et beatitudinis causa respectus est supernae pietatis; ut ex hoc magis beatam me dicant omnes generationes, quia ancillam humilem et exiguam respexit Deus. Verumtamen numquid putamus fratres, Elisabeth sanctam in eo quod per spiritum utique loquebatur errasse? Absit. Beata plane quam